Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM MEDICAM

DE

IRÆ EFFICACIA ET REMEDIIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM
ANGARIÆ, WESTPHALIÆ
ET RELIQVA

SVB PRÆSIDIO

IOANNIS IACOBI FICKII

PHILOS. ET MED. DOCTORIS, PROFESSORIS PVBLICI
ET ARCHIATRI SAXONICI

PARENTIS SVI MAXIME HONORANDI

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

IO. IVSTVS FICKIVS, M. ST.

ANN. O. R. MDCCXVIII 1718
DIE XXIX. IANVAR.

IENAE LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.

Perillustri, Generosissimo
& Excellentissimo
DOMINO
DN. FRIDERICO
GOTTHILFF MARSCHALL
dicto GREIFF
Equiti Franco
Toparchæ in Erlebach
Einöd, Bailber
& Ilmsdorff

Sereniſſ. Saxo-Vinar. Duc.
ſupremo Aulæ Mareſchallo
et
a conſiliis Status ſecretioribus
Curiæ Provincialis Saxonicæ
quæ Jenæ eſt
Aſſeſſori graviſſimo
nec non
Præfecturæ Roslavienſis
Capitaneo
Ampliſſimis meritis ſumme
excellenti

Singulari Seculi ornamento
Stirpis ſuæ Sideri
Magnæ eruditionis laude
Virtutum decore & fama
fulgentiſſimo
Viro ſupra invidiam poſito
Sapientiā & judicio magno
Juxtaque ſumma auctoritate
Conſiliis & factis dextris
inclito
Literatorum & ſuo Mœcenati
valde gratioſo
Neſtoris ævo digniſſimo

Prono animi cultu devenerando
ſpecimen hoc Academicum
Submiſſe offert & dedicat
Edecumatam corporis & animi
ſalutem
Atque ſucceſſus conſiliorum
feliciſſimos
Simul demiſſe precatus

Humillimus Cliens

J. J. Fick, M. C.

B. C. D.

PROOEMIVM.

SÆpe evenit, ut quo res naturales ſunt in vulgus notiores, minoriſque æſtimantur, eo cognitu ſint intricatiores. Ex hac nota habentur animi affectus, quibus in tanta rerum imbecillitate ac lapſu, nullus non hominum urgetur, vel afficitur, quanquam alius alio melius & obſiſtere novit illis, vel mederi. Sunt illi homini ad corporis conſervationem, quod ad rerum utilium proſecutionem & noxiarum fugam comparant, tuendamque humani generis ſocietatem, a Deo & natura conceſſi. Per ſe & natura ſua, hi appetitus ſentientis motus, boni omnes, etiam tales, comparati ad corpus, ſanitatis moderatores, quando æquabilem motum partium ſolidarum, & per has fluidarum conſervant moderati, vel inſtaurant, etiam virtutum inſtrumenta; mali autem fiunt immoderati, ceu rationis inimici & morbi, mentis tranquillitatem & corporis machinam turbantes, vitiorum ſcaturigo. Uſus hujus ira etiam compos cenſeri debet, tunc in genio ſuo melius clareſcenda, ſi affectuum in genere prius phyſice explanatam dederimus naturam.

CAP. I.
De Affectibus in genere.

§. 1.

HI merentur dici *vehementiores animi motus*, *orti ex imaginatione, ſeu, conſideratione*, opinione, *boni vel mali*, *cum inſigni totius alteratione;* vel quoque: *commotiones mentis*, *occaſione motuum extraordinariorum ſpirituum & ſanguinis. Malebranche*, *de inquirenda veritate*, *L. V. C. 1. p. 311*, Juxta *Honoratum Fabry*, motus appetitus, ex affectione ſenſibili. Ab aliis: motus, ſeu, inclinatio voluntatis, tendens ſe cum rebus gratis unire, & ingrata fugere. Efferuntur nominibus tum perturbationum, paſſionum, cum mens æque ac corpus ab iis patiantur, turbenturque; tum perceptionum atque ſenſationum fortiorum, a fiendi modo, & convenientia quadam cum ſenſibus.

§. 2. Sunt vero *externi ſenſus* illi animi motus, ſeu, *mentis* operationes, & *modus quidam percipiendi objecta externa*, tanquam corporea, per impreſſiones *organis* ſenſoriis externis factas, *miniſterio ſpirituum* animalium in nervis atque cerebro. Nimirum, res *corporeæ*, naturales, certa partium ſuarum, quoad quinque materiæ modos, diſpoſitione & *mechaniſmo*, mediato vel immediato ſuo *contactu*, *movent organon* externum, præcipue quoad *nerveo-fibroſam* quandam ejus principalem *partem*, cujus contentum, iſtam rigans & tendens, *nerveum liquidum*, hunc ſuſceptum ſemper determinatum *motum*, reflexa undulatione *per nervos defert* ad *cerebrum*, inde in fibrillis nerveis ſuis & fluido animali pariter *commovendum:* quarum mutationum & motuum occaſione *mens*, *vi* arctiſſimæ cum cerebri meditullio, totoque corpore *unionis*, afficitur, id eſt, *percipit*, cum judicio de re percepta, qualis ſit, ſecuturo: adeoque *ipſa* principaliter *audire*, *videre*, &c. non corpus, ſeu, auris, oculus, recte dicitur, ea excellentia, qua corpori mens præpollet. En totum ſenſationis in homine complexum! Hoc modo *certæ* in

mente

mente *cogitationes*, a certis corporis motionibus, aliæ atque aliæ, pro *diversa corporum indole, organorumque conformatione*, mirifica congruitate, excitantur ; etiam *tales* sub reiterata cerebri fibrillarum, & nervei tendentis illas succi, motione, (*memorativa operatione*,) qualem olim præsens, nunc autem absens, fecerat objectum, quavis occasione revertente, idea velut, & specie, seu rerum vestigiis; *motu* ubique *placido* atque tranquillo. Agnoverunt hanc similitudinem, qui referunt *passiones*, vel ad *sensus internos*, *Sperlette*, *Phys. nov. P. IV. C. IV. art. VII.* vel ad *appetitum* sensitivum, *Kyperus*, *anthropol. L. I. C. 24. §. 46. p. 633.* per quem animus cum corpore, & iis, quæ ad corporis salutem pertinent, conjungitur.

§. 3. Quo clariora hæc fiant omnia, *passionum causas*, in & externas, proximas atque remotas, enumerabimus, cum ad mentem, tum ad corpus referendas. *Mens* principaliter & semper concurrit in homine, tam sub *recordatione*, quam *perceptione* sensibilium objectorum, quales actus Veteres nominabant phantasiam & memoriam: *dispositive* & occasionaliter *corpus*, quoad certas suas partes, fluidas atque solidas. In *fluidis* præcellunt, tanquam humor vitalis unicus, universalis, & omnium fluidorum fons, sanguis, & animales spiritus. *Sanguis* hoc efficit, (1) *alendo* corpus, & fibras nerveas varie contexendo, pro harum facili aut difficiliori agitatione tremebunda. (2) *impellendo fibras* nervorum, atque undulantes in iis *spiritus*, motu suo progressivo, calorifico, aliave qualitate; qui motus ad cerebrum traductus, in anima si non perceptionem causari variam, tamen variare eam potest. (3) *materiam* pro *spiritibus animalibus* suppeditando, *qui pro* varia *sanguins temperie*, biliosa, melancholica, serosa, sanguinea, aut morbosa alia quadam dispositione, *naturæ consimilis* in crasi & motu *emergent*, & in sanis lætitiam, in ægris tristitiam, aut specialem ad hunc illum affectum inclinationem parient. Animales autem *spiritus*, seu *nerveus succus*, pro diversa hac sui constitutione, tenues vel crassi, activi aut torpidi, parci vel copiosi, varie afficere mentem solent, cum iis hæc suis in cogitationibus ministerialiter utatur. In *solidis* organa *sensoria*, in & externa, multum *conferunt*, speciali pro ratione individuorum *texturæ modo* perceptiones ita modificantia, ut hic colore viridi,

 ille

ille rubro, iſte flavo, & ſic in reliquis delectetur; id eſt, ex *diverſis cerebrorum diſpoſitionibus* provenit, ut *eadem* ejusdem *objecti impreſſio diverſas paſſiones* excitare poſſit in diverſis hominibus, experientia teſte. *Objectiva* tandem *cauſa* potior ſunt *res externæ* ſenſibiles, tam pro ſenſationibus, quam paſſionibus communiſſimæ, in his fortius ſenſatæ.

§. 4. Nunc, quo noſtrum ad ſcopum propius collimemus, accuratiori dictorum applicatione, pronunciamus cum *Williſio*, *de anima brutor. p.m.110.* *duplicem* generalius animæ corporeæ, ſpeciatim in homine *mentis*, eſſe *ſtatum*, alterum *tranquillum* & quietis, quo ſanguis & ſpiritus animales blando allapſu actuant partes corporis in ſenſationibus & cogitationibus: alterum *perturbatum* & commotionis, in quo iſta fluida in excurſus recurſusque irregulares, cum inordinatione functionum, feruntur, in animi affectibus. Animus vero, ſeu *mens*, tunc *commoveri vehementer* incipit, quando *objecta*, plane ſecundum ſupra indicatum ſenſationis modum, *ſenſata* & imaginata, nunc vel olim percepta, tanquam *bona* grataque, ſibi & corpori proficua, *cum* amore & *deſiderio* illa *amplexandi:* vel *mala* & ingrata, ſibique & corpori incommoda, *cum odio* & averſatione, imaginatur & judicat. Quod dum accidit, *effectus affectuum* collecti omnes, *variæ* nempe corporis *membrorum* in ſitu & diſpoſitione *efformationes*, nempe, in vultu, voce, reſpiratione & artubus, tanquam *ſigna* certiſſima teſtimonium præbent, in cunctis nonniſi *duplicem* occurrere *motum fluorum vitalium*, ita ut *ex una parte ſpiritus animales*, *minori* copia & *impetu*, ex *cerebro*, ſimul turbato, per nervos *expellantur* depreſſæ mentis ductu, in *cor* præcipue, & alios corporis *muſculos*, univerſos aut ſingulos, *hos illos*, itemque, *viſcera*, receptacula atque vaſa; *tardior* autem atque debilior *ſolidarum* harum ita factus *motus*, *conſimilem humorum* per eas circumvectorum, & pariles tam *laudabilium*, quam *excrementitiorum ſecretiones*, & *ſegnes* per emunctoria *excluſiones* inducit, i. e. ſpiritus & humorum motus inde torpeſcunt, & a circumferentia verſus centrum velut retrahuntur, ſupprimuntur. Ex *altera parte* contrarium evenit; *vehementior* enim eſt a mente concitatiori *ſpirituum animalium* in *cerebro*, totoque genere nervoſo,

&

& per hoc in præfatas *ſolidas partes*, imprimis præcordia, *motus*, *humorumque liberior* omnium atque vividior in partes, a centro verſus peripheriam fortior propulſio, & per emunctoria *diffuſio*.

§. 5. Duplex hic *motus*, *imminutus* nempe vel *auctus*, & conſimilis totius alteratio atque perturbatio, *fundamentum* ponit *diviſionis paſſionum* in duo *genera*, ad quorum *primum*, in priori dicto motu radicatum, referuntur *timor*, *mæror*, &c. ad *alterum*, in poſteriori ſitum, *ira*, *amor*, &c. *Quodſi* vero *objecta juxta* præcipuas *relationes*, *quas nobiscum habere* poſſunt, num *præſentia*, *præterita*, vel *futura*, *jucunda* vel *injucunda*, *noxia* vel *ſalutaria*, adeoque voluptatem aut moleſtiam facientia, conſideramus, patet, *amorem* & *odium* eſſe *principia* & matrices *omnium* affectuum: ab illis generalioribus alios non gigni affectus generales, quam *deſiderium*, *gaudium* & *triſtitiam*: affectus *ſpeciales ex his* tribus primitivis derivari, ac eo magis eſſe *compoſitos*, quo bonum & malum pluribus circumſtantiis, ad nos relativis, concitatur. Præcipuum vero *diſcrimen*, quod intereſt inter *affectus* ejusdem *ſpeciei*, oritur ex variis perceptionibus, aut ex *variis judiciis*, quæ illas comitantur. Simplices & *primitivos*, ita alii computant, ut ſint ſex: *admiratio*, *amor*, *odium*, (ex his) *cupiditas*, *lætitia*, *triſtitia*, ex quibus, tanquam fontibus, oriantur *compoſiti*, derivativi, admodum *multi*, ſi non innumeri: *Claubergius*, *phyſic. contr. th. 982.* Proinde *meliora edocti*, cum plerisque recentiorum Philoſophorum, *repudiamus Ariſtotelicam diviſionem* iſtorum, in concupiſcibiles & iraſcibiles, ceu *inadæquatam*, id eſt, anguſtiorem & inſufficientem, juxta *Williſium*, *l. c. p 121.* Retinemus, quod quidam ſint *ſubiti*, alii *diuturni*. Subiti reliquis ſunt pernicioſiores: nam omne ſubitaneum eſt naturæ inimicum. Ex diuturnis *moderati* ſunt alii, alii *immoderati*. Comparate boni vel mali ſunt, ut voluptatem, quam per ſe expetimus, aut moleſtiam, quam per ſe defugimus, creant, ductu opinionis.

§. 6. Jam ergo luculenter patet, *affectuum*, *prout ſubjectum* eſt *anima*, ita *ſedem* eſſe *primario cerebrum*, ſecundario & *effective cor*. Sunt enim nihil aliud, quam *mentis cogitationes*; atqui ubi mens reſidet, ibi quoque ejus operationes atque affectiones.

 Sun

Sunt porro *sensationes*, licet vehementiores, per objecta, grata vel ingrata, excitatæ, *quæ terminantur* omnes in *cerebro*. *Mens* ita *perturbata* totum *commovet*, in solidis æque ac fluidis partibus, *corpus*, id quod non nisi *per spiritus* potest fieri *animales*, seu, nerveum succum, oriundum ex cerebro, & *per nervos* in totam derivandum machinam. Tandem etiam *temperantur* ac diriguntur *a sana* & recta *ratione*, ideo aliarum *instar voluntariarum actionum* a cerebro promanare, necesse est. Elicitur porro ex supra dictis, *propensionem ad illos* atque *varietatem*, petendam esse tum a sanguinis & succi nervei varia temperie in mixtione & motu, id est, *temperamentis diversis*, *quorum* cum ætate, victus & vitæ genere *mutatio*, similiter consuetudo atque educatio, etiam *animi motus permutant*; tum a cerebri atque cordis, aliarumque *solidarum partium habitudine* diversa, *motumque animi atque corporis reciprocum* esse, ita ut, quemadmodum mentis passiones in spirituum & sanguinis commotione terminantur, ita non prius illæ sistantur, nisi succi nervosi, simul ac sanguinis commotio conquieverit.

§. 7. Hæc *vi ordinis*, a *Deo* instituti, eveniunt cuncta, cujus voluntati soli attribui debet *mentis cum corpore*, entium toto genere diversorum, *unio*, & *ut voluntates* nostras *motus corporis*, & hujus partium *sequantur*, atque *rursus motus corporis* nostri, alicujus *objecti præsentia* in nobis mechanice excitatos, *animi* concomitentur *affectus*, qui eo nos inflectant, *ut velimus* ea, quæ tunc sunt *utilia corpori* nostro, nolimus inutilia, iisque nos omnibus rebus uniant, vel non, quæ bonum atque malum mentis, æque ac iis, *quæ bonum aut malum corporis esse*, *nobis videntur*. Distinctius ita se res habet: In *brutis* post passionem sensus, in spiritibus cerebri receptam, *horum* sequitur per nervos *determinatio*, *fortior* aut *debilior*, *prout* impressæ *sensationes*, mere passivæ & necessariæ, *naturæ* animali *gratæ* vel *ingratæ* acciderunt, in musculos, *cor*, vasa, aliasque *partes*, cum harum constrictione aut laxatione, & subitaneæ sanguinis & *humorum violentæ*, celeriores vel tardiores *commotiones*, *cum rei* sensu perceptæ, (perceptione corporea,) *persecutione* aut *fuga*: quod *appetitus* est *sensitivus*, mere necessarius. Fit autem hic *sensitivo rationalis in homine*, in quo quippe *sensatio* est

men-

mentalis, ſive, cum mentis perceptione & conſcientia ſenſationis, perceptæ rei judicio, recto vel erroneo, cui jungitur *voluntatis complacentia* quædam, aut *diſplicentia*; hujus vero interventu *commotiones* illæ *humorum* per ſpiritus animales, alioqui ordinariæ futuræ, *vehementiores* vel *ſedatiores* fieri poſſunt, magis vel minus *ac in brutis*, prout *voluntas*, magis *irritata* potentius, aut *ſedatior* mitius *determinat ſpiritus* animales in cor, &c. aliter ac in brutis, quorum affectus meram ſenſationem, ſine judicio & voluntate, conſequuntur. *Sturmius, phyſ. erotem. de homine, art. I, membr. II, cap. II. §. II.*

CAP. II.
De natura iræ.

§. 1.

IRæ, cujus filia odium, affectum nunc ſuſcipimus explicandum, laudatum ab his, vituperatum ab illis. *Ira*, *excandeſcentia* & *furor*, *gradualiter* differunt. Excandeſcentia eſt ira ſubita; amaritudo, ira perſeverans; furor, cum iratus non acquieſcit, dum ultus fuerit ipſe ſeſe. Græce θυμὸς dicitur, quaſi a θύω, cum *impetu feror*: aut a θέω, *curro*, quia ſicut mens eſt velociſſima, ita quoque iræ motus: gradus vehementior ὀξυθύμια, excandeſcentia. *Homero* θυμοβόρος, i. e. animum vorans; & *iracundus* vocatur *niger*: χολὴ, & animi affectionem, & bilem, illius materiam, facile efferveſcentem, ſignificat: χολᾶν, iraſci. *Synonyma* in ſcripturis: πικρία, ὀργὴ, μῆνις.

§. 2. Deſcribit eam *Ariſtoteles* in variis locis, *Lib. II. Rhetor. Cap. 2.* quod ſit *appetitio cum ægritudine*, ſeu *dolore conjuncta ulciſcendi*, *ob neglectum*, *ſeu deſpicientiam. & Lib. I. de anima*, *C. 1.* magis phyſice; *fervor ſanguinis aut caloris*, *qui cordi ſuffuſus*. Hæ duæ ſibi junctæ perfectiorem facient, qualem *Conimbricenſes*, *in Ariſt. I. de anima eſt: ultionis ex illata injuria appetitio, cum fervore ſanguinis in corde.* Accurate eam vocat *Carteſius de anim. paſſionibus*, *P. III. art. 199.* & ex illo *le Grand*, *Inſtit.*

Philoſ.

Philoſ. P. IX. C. XIII. p. 727. ſpeciem *averſionis*, *quam erga eos habemus*, *qui aliquod malum fecerunt*, aut, qui conati ſunt nocere nobis, *cum ulciſcendi*, ſeu puniendi illius, qui læſiſſe videtur, *cupiditate.* Unde *Scaligero*, de *ſubtilitate*, *ad Cardan. exerc. 313.* audit, *appetitus depulſionis*; & *Mercato*, *volum. I. L I. P. V. quæſt. 154.* appetitus *vindictæ*, *ex apprehenſione mali illati.*

§. 3. *Affectus* ergo erit, *mixtus ex dolore & audacia:* dolemus enim de illata injuria, mox eandem ulciſci nitimur. Duobus igitur *contrariis motibus*, revocatione ſcilicet *ſpirituum ad centrum*, in dolore, ſeu indignatione, ac eorundem *ad peripheriam* commotione, in vindictæ cupiditate, juxta *Smetium*, *Miſcell. Med. L. VII. p. 411. conſtat.* Quibus adſtipulatur *Bruno*, *propyl. Med. p. 194.* contrarias in ea concurrere paſſiones, aſſerens, dum *anima* ſe veluti primum *ob malum contrahit*, mox autem præ *vehementia reſilit*, & in *vindictam*, vel ad viciſſim nocendum prorumpit, & hoc modo efficit, ut ſpiritus cum humoribus in motu inhibeantur, dehinc tumultuoſe & cum impetu ferantur & rapiantur. Hoc eſt, *in ira* concurrunt ſemper *plures affectus*; terrori & *triſtitiæ* ob injuriam illatam, *copulatur ſemper vindictæ cupiditas*, circa quam dum difficultates occurrunt, *animi ſolicitudine*, hinc & triſtitia nova comitatur, & conturbatione nonnunquam ad *delirium. Sylvius*, *Prax. Med. L. III. c. 3. §. 274.* Prævalere tamen, ſi totum actum penitius inſpexerimus, videtur *audacia*, & ſic referri merito ad alterum & poſterius *in Cap. I. §. 4* affectuum genus.

§. 4. Duplicem hunc motum agnovit reipſa *Hippocrates*, *epidem. 6. ſect. V. th. 8. Op p. 1184. ira præceps*, inquiens, *cor & pulmones contrahit in ſeſe, & ad caput calorem & humorem attrahit*; & egregie declarant *phænomena* iræ, & concomitantia, in diverſis ſubjectis diverſa, raro in ſingulis omnia juncta, ſigna. A *motu* enim *fluidorum*, ſpirituoſi & humoroſi, *ſuſpenſo*, intercepto, retardato, inæquali, velut ad centrum & fontem reducto, *doloris vi*, ob illatam injuriam, natales ducunt *pallor* faciei, ſuperficiaria corporis *refrigeratio*, cordis *anxietas*, pulſus & totius *languor*, *ſpirantes* ac corrugatæ *nares*, artuum vacillatio & *tremor*, *inceſſus* inſtabilis, *vox* ſuppreſſa, intercepta, rauca, &c. A *motu* ſanguinis *diffuſivo*, ad

ad peripheriam, impetuoſo, *aucto circulo* & effervescentia, nec non *ſpirituum* animalium *exploſivo* per *nervos* vehementiori, celeri & inordinato, *in muſculoſas* præcipue *partes*, inde plus minus convulſas, qualem *audacia* facit vindictæque cupiditas, provenit, ut totum corpus, maxime *facies* calore & *rubore perfundatur*, *oculi* fiant *ignei* & feroces, quandoque lacrymentur, *ſupercilia* rigida, elevata, nunc contracta, tremiſcant *labia* & inflentur; appareant *os* rabidum, cum ſpuma, morſus & ſtridor *dentium*, ſcilicet, vultus horridus & minax, *vox* audiatur *tremula* & balbuties, clamor, raro loquacitas, ſermonis præcipitantia, cum *interruptione*; *capillorum* obſerventur criſpatura & erectio, *muſculi* totius *ſubſultantes*, cum præcipiti inceſſu, & vario artuum motu figuraque, membrorum *robur*, venarum diſtenſio, *pulſus magnus* atque vehemens, citata reſpiratio & *anhelatio*, ſenſuum turbatio, *mentis inconſideratio*, ſumma impatientia & audacia, *furor* brevis: quæ omnia, obtenta ultione, ſtatim miteſcunt. vid. *Galenus*, *de placit. Hipp. & Plat. l. 3. Lemnius, de complex. l. 1. p. 64.* De notato *pulſu* conſideratione dignum eſt *Hippocratis*, *2. epid. p. 1046.* teſtimonium, ita ſonans: *qui venæ in cubito conſpicuum pulſum habet, is furibundus in acerbam iracundiam præceps facile eſt.* Ceu idem ille diſpoſitos ad iram pronunciat, *epidem. 2. ſect. 6. quibus caput magnum, oculi parvi & balbutiens lingua eſt*; item, *qui inconniventibus oculis intuentur.*

§. 4. Poſtquam abunde conſtat, iræ *objectum* eſſe res omnes, quæ injuriam aliquam inferunt, vel inferre videntur, tanquam malum quid & nobis ingratum perceptæ, quas depellere aut ulciſci annitimur; ad ſcrutinium cauſarum nos convertimus, & inter *remotas* præmittimus *res naturales.* In his excellit corporis *temperamentum*, quod ſemper mores animi ſequuntur, & contra. Cholerici, ſeu, *bilioſi*, igneo, calido & ſicco, nativo vel adſcititio præditi, ab omnibus habentur pro *temerariis*, contentioſis, iracundis, ſymbolum conferente ſanguine, & humorum ſpirituumque tenuitate, mobilitate, acrimonia, atque caliditate inſigniori, ſanguineis adhuc præferenda. Hinc *ingenia*, quæ acuta, fere ſunt oxychola. Idem *ab Ætio, tetrabibl. I. ſerm. IV. C. 77. & 79.* & a

 Galeno,

Galeno, L. II. de temperament. & C. 29. art. med. exprimitur, quando *cordis calidioris*, item, ficcioris *homines*, ad *excandefcentiam* & furiofam temeritatem, vel, ad *animi contentionem*, non facilem, fed *feram*, proclives & celeres effe prædicant; minime, qui frigido & humido corde. Cholerici levi de caufa irafcuntur, phlegmatici minime. Hinc *Eobanus Heffus, de tuenda bona valetudine* canit: *ficut enim tacta ferro candente lacunæ*, fic *motu calidi fanguinis ira fremit.* Et eius commentator, *Placotomus*, corpora, in quibus bilis abundat, facile incendi; vel, *biliofos reliquis* facilius commoveri afferit. Nam *bilis* eius eft naturæ, ut *vim igneam proferat*, cujus motu atque agitatione, velut face fubdita, excandefcimus. *Lev. Lemnius, l. c. L. II. C. 5. p. 136.* Bilis in corpore & natura biliofa, *circa præcordia effervefcens* & excandefcens, *in iracundiam* concitat, inquit *Victor Trincavellius L. II. Confil. 14.* Cur autem fenex ad iram proclivis, poft obitum, fine felle & cyfti inventus eft? notante *Boneto, anatom. pract. l. 4. S. 12. p. 552.* Majorem fecit difpofitionem in valde iracundi hominis cyfti fellea repertus lapis, eam adimplens. ibid. Abinde *effective*, præter nativitatem, provenit, ut fint *pufilli corpore*, & hi *iracundiores* præ *grandibus*, tenues præ groffis, *macri præ obefis*: item, quod iracundi citius *calvefcant*, nempe, ob prævalentem ficcitatem & humidi defectum. Et quia *præfervida climata ubertatem bilis* atque volatilitatem pariunt, iftorum incolas in iram effe profufiores oportet.

§. 5. A dictis non multum abludunt, qui, ut *Möllenbroccius*, de varis, *Cap. 4. p. 57. & Cap. 12. p. 189. fcorbuticos* ad iram effe *proclives*, & hanc non a flava bile, fed potius *atro humore*, (quem bilem ab acido depravatam, acriorem recte dixeris,) circa lienem commoto, provenire ftatuunt. Quod de calido valet fcorbuto, de frigido haud æque: eademque eft melancholicorum ratio, eorum inprimis, qui tranfitum facere velle videntur ad maniam. Confirmatur hoc ab *Ariftotele problem. I. fect. 30.* bilem multam acrem habere iracundos, afferente. Eo intendiffe videtur *Hippocrates, Epid. L. VI. partic. 4. aphor. 23.* qui *calido ventriculo præditi funt, frigidas habent carnes, tenuesque exiftunt,*

con-

conspicuas denique eminentesque venas obtinent, iracundiores sunt. Valde obscurus, ac communi hypothesi dissentaneus videtur *Garmannus, de miracul mort. L.II. tit. 7. §.17. p.550.* quando a sanguinis narura fibrosa & terrestri, exemplo tauri & apri, ferocitatem deducit. Dicamus potius: qui crasso, fixo & gravi, minusque mobili sanguine nerveoque succo præditi sunt, iram difficulter & tardius subeunt, sed ab ea quoque semel correpti, gravius moventur ac diuturnius.

§. 6. Ut *temperamenta mutantur per ætates*, ita *hæ ista, sibi propria quasi, possident*, & cum iis peculiarem ad affectus dispositionem. Ætas quo calidior, eo pronior ad iram, & contra. *Major* itaque *ira juvenum, quam senum*, quia ibi plus caloris, minus rationis & moderationis est, hic autem contra. Qui enim, ceu senes etiam, obfirmatum, exercitatumque acre habent judicium, quo objecta injuriosa & ingrata accuratius perpendere possunt, fortius obnituntur iræ. Et quod *ad sexum* attinet, virilis cum calidior existat, *sequiori est concitatior*. Fœminæ autem & facilius & *citius viris excandescunt*, ob animum imbecillum, levem, mollem, prudentia haud firmatum, ob spirituum animalium nervorumque teneritudinem: ut refert *Camerarius, l.c. Cent. X. 54.* Grave est dicterium, quod in hunc vibrat sexum *Kozak, de hæmorrhag. L. II. C. XX. p.635.* ita sonans: *nullum malum adeo infestat fœmininum sexum, quam amoris aut iræ excessus: amor earum est insatiabilis, & ira irreconciliabilis. Non est ira supra iram mulieris*, pronunciat *Ecclesiastes, Cap. 25.* & *Seneca*, l. 1. de Clementia: muliebre est, *furere in ira.* Gravidæ quoque ad iram proniores. Sane, *pueri, mulieres & infirmi*, quoniam facilius & leviori de causa dolent (ob judicii quoque defectum,) *sæpius irascuntur*, sed quia audaces non sunt, verbis vel lacrymis expletur ipsorum ira. Qui *forti* sunt *animo*, quoniam non ita leviter dolent, frequentem minus, sed *timendam magis iram* habent. *Sponius, sect. IV. aphor. nov. 78.* Concurrit *regionum* conditio & *situs civitatum*, momentum conferens insignissimum. Quod *Hippocrates de aere, loc, & aqu. oper. p. 295.* sapienter confirmat: *Ubi regio*, inquiens, *nuda est, non munita, aspera, quæque hyeme prematur, & sole exu-*

ratur, ibi duros, graciles, &c. cernas homines, qui mores habent superbos, ad iram proclives & pertinaces, magisque feritatis, quam lenitatis participes. Et paulo ante *l. c. oper. pag. 283. ciuitates, quæ quidem soli orienti sunt exposita, eas salubriores esse par est his, quæ ad septentrionem obversæ sunt,* &c. *homines clara voce sunt præditi, & ad iram ac prudentiam melius sunt comparati, quam septentrionales.* Si *consuetudinem* & *vitæ genus* consideramus, fieri assolet, secundum ea, quod semel junctæ corporis animique functiones, facile iterum conjungantur, difficulter sejungantur, ut ubi *semel ad iram* nos commoveri passi sumus, *paratiores* evadamus *ad alia* vice, similem ob causam, *irascendum:* nam organis nostris a rebus ipsis eodem modo, quo antehac, affectis, similes in animum conceptus & opiniones assidue redeunt. *Claubergius, de corpor. & anim. conjunct. C. 36.* Siquidem motus & inclinatio animæ, corpus & humores in eo varie & sibi congrue movent, & in crasi alterant. Consvetudo semper inclinat animum versus certa objecta. Non ergo mirum, *milites*, qui nihil aliud, quam cædem & sanguinem cogitant atque patrant, attonito vultu efferatoque, *ob leves quoque injurias*, sævire statim, vehementerque excandescere: consuetudo siquidem, prout temperamentum, animi mores confirmant.

§. 7. Ab his rebus naturalibus transitum ad *non naturales* facimus. Nemo inficias ibit, eatenus prætorridum *æstivum calorem* iræ obstetricaturum, quatenus bilis & copiosæ, & volaticæ productioni, simul & sanguinis tenuitati atque rarefactioni, in corpore nostro favet. Quale quid etiam *cibi* efficiunt calidi, *oleosi*, *aromatici*, *dulces*, fermentescibiles, item, *salsi*, acres, salini volatiles, ut raphanacea. Plane autem singulare est, quod ex *Galeno* vult inferre *Guil. Insul. Menapius*, de rat. vict. salubr. c. 14. *pisorum* & ervorum jugem ac frequentem usum iracundos & discolores efficere; quantum enim calefaciunt, tantum etiam incrassant. Ex opposito, *inedia* privative, dum bilis non diluta, vel temperata per alimenta, justo acrior & oleosior evadit, ad iram disponit, secundum *Hippocratem de prisca med. oper. pag. 12. si quis prandere consuetus, non prandeat, ei os amarulentum evadit,* vehemen-

menter irascitur & moeret. *Fames & sitis exasperat animos & incendit*, juxta *Senecam*, *de ira*, *C. 9. & 10.* Liquores autem fermentati, *spirituosi*, sunt omnium aptissimi, *nocentissimi*, immodice præsertim hausti, qui faciant *ad iram præcipites*, inprimis vina. *Dodonæus*, *stirp. hist. Pemptad. III. L. III. C. 31. p. 421.* Vinum alios facit iracundos, alios humanos. *Schulzius*, *aphor. med. sect. 6. aph. 126 p. 97.* Non multum dissimile Turcarum est *maslach* & *asseral*, aut asrar, atque electuarium *Indorum*, *Bernair* vocatum, usitatum apud Ægyptios; Persarum etiam *bangue*, & ipsum *opium*, ceu Celeberrimus *Wedelius*, *de opio*, *p. 168.* & *Barchusen*, *histor. Med. p. 227.* quorum esus homines animosos, iracundos & atroces facit. Vi eadem velut inebriativa externus *hyosciami*, & clysterum forma usus iracundiam, quin ipsam insaniam produxisse, legitur in Illustr. *Wedel. dissertat. de hyosciamo.* & *Westphali*, *patholog. Dæmon. p. 33. & seqv.* Efferant porro, sicut spiritus & humores, ita etiam animum, *motus corporis* atque *vigiliæ*, quies vero & somnus eundem placant. Experimenta quisque in se capere potest. Sic in lassitudine, siti, inedia, intempestiva vigilia pronior quisque ad iram, sic fames & mora ex Plauti sententia, bilem in nares concient. *Lemnius*, *de occult. nat. mirac. L. I. c. 16. p. 116.*

§. 8. Quid dicamus de *animi affectibus* ipsis immoderatis? irasci facile *amantes*, testatur *Baricellus*, *hortul. genial. p. 225.* & vehementem iram succedere facile magno *terrori*, *Sylvius*, *Prax. Med. L. III C. 3. § 283.* Imprimis huic *obnoxii* sunt, qui φίλαυτοι & superbi; qui *suspicaces* & creduli: qui curiosi & *invidi*; qui *Zelotypi* & avari: qui *ambitiosi* & luxuriæ dediti: nobilitate, divitiis, potentia, auctoritate præstantes: qui aliis vel *animi*, vel *corporis dotibus* antecellunt. Soli iræ nihil intactum, nihil inaccessum est. Difficiles porro & queruli sunt *ægri* & *convalescentes*, valetudine & ætate fessi: ut enim ulcera ad levem tactum condolescunt; ita animus affectus minimis offenditur: nunquam sine querela ægri tanguntur. Adeo invalidum omne natura, querulum est. *Seneca l. c.* Cum quibus certo modo *rebus adversis* utentes conveniunt. Maxime autem *biliosi chronici morbi*, atque calidi iracundiam habent comitem, & ex ea simul ortum trahunt. Sine dubio decrepitus ille *senex* apud *Fernelium*, *patholog.* in iram fuit

propensissimus, a redundante in sanguinis massam *bile*, ob calculum ingentem in cystis sede concretum: & quadragenarius *ictericus*, ob *lapidem* magnitudine *fellis* repertum. *Boneti*, *sepulchret. Tom. III. p. 55.* Ex hac auguramur in subjectis, cetera sanis, *hecticam* imminentem: & *phtisici* ab ulcere pulmonum, *ob bilem*, a conjuncta hectica febri, atque sanguinem a pure, ipsi in circulo per pulmones nupto, acriorem atque mobiliorem, summa *feruntur præcipitantia* ad eam. In tanto causarum apparatu vix sine superstitione, & vel gratis cum *Leon. Vairo*, de fascino, *L. III. C. 3.* aliquis ad *dæmones*, *qui pro concitando homine ad iram & vindictam, per spirituum motum, in quibus sunt phantasmata, in imaginatricem vim aliqua visa reducere possent*, &c. confugeret. Inductam tamen iracundiam partim fascino, partim odio confirmato, statuit *Westphal.* pathol. dæm. p. 56.

§. 9. Jam vi ordinis de *sede* tractandum esset, quam nolumus cum *Platone & Galeno*, *8. de placit. Hipp. & Plat. C. I. & L. IX. C. X. de meth. m.* facultatis irascendi in corde, concupiscendi in hepate, & ratiocinandi in cerebro collocare; neque cum *Sennerto*, *Practic. L. III. P. IV. c. 2.* in liene, ab humore melancholico circa lienem commoto, cum in ira commotio in sinistro potius latere circa lienem, quam in dextro percipiatur; sed *soli reservamus cerebro*, communi affectuum throno. *vid. supra.* Paucis saltim mentionem facimus *divisionis*, & cum *Cartesio de passion. anim. art. 201.* duas *iræ species* statuimus, unam *apertam*, cum vultus rubore, cuius causam dat *Sebizius*, *exercit. path. T. I. p. 127.* benignam, facile excitabilem & sedabilem, minus metuendam, ab illis, qui multum bonitatis & amoris habent, provenientem: alteram *occultam* magis, subdolam, simulatam, cum pallore, *longe pejorem*, periculosam, pertinacem, vindictæ ferventiorem, ortam ex profundo odio: adeoque aliam *levem*, cito ortam, & sine viribus brevi transeuntem, a bile flava; aliam *gravem*, furentem, amentem, longius durantem, a bile atra, seu melancholica. His ipsis iræ natura egregie manifestatur, quam *Paracelsus*, *Oper. P. V. in append. & Comment. in Hippocrat. aph. XI.* analogice transfert *in corpus morbosum*, & duplicem, *naturæ & morbi*, in periodis, paroxysmis, accessionibus & exacerbationibus occurrentem ponit, a scopo nostro prorsus alienam.

CAP. III.
Ira morbifera.
§. 1.

MOrborum ferax est & *malorum lerna*, iræ affectus; *urgentissimus* omnium, adeo *ut ira excandefacti, licet vulnerentur, id tamen præ affectus vehementia, archeo confuso, alibi occupato, defixo, non sentiant*, ut *Excell. Wedelius, patholog. p. 142.* asserit, & irati pueri pro epilepticis, male tamen, fuerint habiti, *Riedlinus, lin. Med. ann. IV. p. 375.* Non solum ardorem & ebullitionem quandam calidi circa cor, qua cerebrum quoque incalescit, illa cum *Galeno, l. 1. C. 4. de differ. febr.* efficit, sed omnem quoque sanguinem *humoresque exæstuat, crasin* eorum & miscelam, motusque æquabiles valde *turbat*, diversissimis corrumpit gravissime modis. *Speciatim* stimulat & *fermentat bilem*, inque gas elasticum citat; spirituum motus *exasperat*, accelerat, turbat æquabiles, & ad irregulares, cum vehementia, adigit, simul dissipando, *viresque resolvendo*; & tam intime ac celeriter *fluida* totius, atque *solidam corporis* machinam *alterat*, adeoque totum corporis *mentisque* statum *mutat*, ut nihil supra. Omnem movet camarinam & in actum quosvis in variis totius locis stabulantes & quiescentes humores pravos deducit. Merentur verba huc referri *Bellini de febribus* propos. IV. p. 286. *ira, tanquam species majoris momenti, facit influxus liquidi per nervos majoris copiæ, crebriores & celeriores, & musculi, ac proinde cor frequentius, celerius, vehementius contrahitur, illique respondet pulsus vehemens, creber, celer, & hinc motus sanguinis eadem ratione vitiatus. Bilem pariter movet, & reddit acriorem Cap. I. §. 6.* Videtur ergo natura sua esse ipsa febris; aut cum *Pechlino* l. c. fluidorum solstitialis ebullitio. Hinc acutæ sunt ab ea commotiones potiores, ideam causæ suæ servantes, ut febres, cholera, cardialgia, &c. humorum copiæ, efferationi, impuritatibus & spasmis debitæ. Solent ejus effectus admodum diversi esse, partim pro varietate corporum latissima, partim prout *alia* ira dominatur ceteris affectibus ipsi copulatis, *alia* ipsis subjecta est.

eſt. *Sylvius, Prax. Med. L. III. C III. §. 273. p. 497.* Iram enim *comitantur, voluptas,* quæ naſcitur ex ſpe futuræ ultionis; *dolor,* quem illata apparens parit injuria; & *odium* perſonæ, quæ intulit injuriam; hæc valde animum humoresque conturbare poſſunt. *Rolfincius O. & M. m. ſpec. comment.* l. 3. ſect. 3. c. 103. p. 114. Imo omnium animi perturbationum ſemina videntur in iram confluxiſſe, cum *Plutarcho Lib. de ira.* Aſt corpora, purioribus ſuccis, & juſta perſpiratione prædita, minores tolerant noxas. Aſvefactis minus nocet.

§. 2. Ut a capite ad calcem procedamus, ira inſaniæ comes eſt, aut ipſa *inſania*, juxta *Plutarchum*: an eſt quicquam ſimilius inſaniæ, quam ira? *Cicero, IV. Tuſcul. C. 23.* ita eſt, ingentis iræ exitus *furor* eſt; *Seneca epiſt. XVIII.* ipſa brevis furor; *Macrobius, l. 4. ſat. c. 2. f.* In *mania* obſervatur delirium ſine febri cum audacia, ab impetuoſo ſpirituum animalium perturbatoque motu. Irati *Ciceroni* l. c. dicuntur exiiſſe de *poteſtate*, l. c. de conſilio, de tatione, de mente. Furentium inſtar inſigne habent robur & magnam audaciam, ad omne ſcelus promti. Utrinque *perturbati*, irregulares & impetuoſi ſunt *ſpiritus* animales, vere ignei, proinde rectæ rationis dictamen excutientes. Totum amborum corpus bilioſum, ſiccum, accenſum ſine febri, aucto pulſu: in tantum mente alienati, ut vel alios interimant, vel ſibi ipſis violentas quandoque inferant manus, *Zacutus Luſit. de Med. princip. hiſt. Lib. II. obſ. 3.* Erit igitur *facilis iracundiæ in maniam converſio*, & illa hujus cauſa, cum *Ætio l. c. p. 27.* nam ab affectibus vehementibus diutiusque durantibus, facilis eſt tranſitus in deliria. Furioſa talis mentis alienatio, aſt cum febri, ab inflammatoria cerebri & meningum diſpoſitione, nempe *phrenitis*, corripuit fœminam, *iræ* occaſione, *fluentia ſupprimentis menſtrua*, ut *Bartholinus, act. Med. Haffn. vol. II. obſ. 95.* Nec mirum, cum *polleat* vi ſanguinis *ſtagnationem excitandi*, coagulando humores, & fundendo ſpiritus; *Dolæus, Encyclopæd. Chir. l. 1. c 17. p. 146.* interdum influxum in partes violentiorem ſanguinis & celeriorem, cum ſubſequa ſtaſi, cauſando, quo pacto *angina* aliquando producta eſt. *Hoffmannus, Comment. in Poter.* p. 159. Inde viſi ſunt quidam ita excanduiſſe, ut non duntaxat

taxat facie ſpirarent ignem, ſed & ſanguinem ex oculis & naribus *emiſerint. Dolæus, l. c.* Quidam ira percitus *lacrymas* fudit *ſanguineas.* Potuit id fieri a vena quadam capillari, ob iram aperta, & ſanguine ad oculos ope glandulæ lacrymalis delato. *Petr. Borellus, obſ. 56. cent. 2. p. 155* Aliis loco ſanguinis *lacrymæ ſudoresque* exeunt. Scanderbegio, præliaturo cum Turcis, præ fervore & magna commotione, *e fiſſis labiis ſanguis effuſus eſt. Andr. Libavius, de cruentat. cadav. th. 205. p. 302.* Aliis inſigniter vulneratis, commoto ab ira ſanguine, *ſciſſa vaſa ſanguifera*, & fere conſolidata, rurſus diſrupta ſunt, cum impetuoſa *ſanguinis proruptione*, quæ in uno vulnerato e capite mortem intulit, in altero vix ſumma cura & periculo ſiſti potuit; *Fabricius Hildanus, Cent. epiſt. I. oper. p. m. 1232.*

§. 3. Per iram excitata ſanguinis ferocia, in plethorica uxore, inſultum *apoplecticum* induxit, rutilante tota facie, cui ſupervenientes *motus comvulſivi* vitæ filum abruperunt. *Harderus, in apiar. obſ. 36. ſchol. 167.* Similem vitæ exitum Paſtor eccleſiæ, hypochondriacus, a ſanguine ubertim ad cerebrum rapto, ibidemque coagulato, habuit. *Michaelis, Prax. Clin. c. 3. p. 363. & 369.* Camarina vero commota, *impuritates acres,ślioſæ, acidæ*, pituitoſæ, aut alius ſpecificæ naturæ, delatæ ad cerebrum, concitant vellicatione membranarum, mitiori *dolores capitis, Sebizio, l. c. p. 7.* graviſſima *epilepſiam, Muſitano, de ulcer. c. 9.* commixtæ ſpiritibus inde turbandis *vertiginem*, faciunt aut exaſperant, *Brunnero, Conſil. Med. X. p. 81.* ex cerebro in nervos excuſſæ harum vel illarum partium, cum obſtructione, *paralyſin, Caſp. a Reies, elyſ. jucund. quæſt. Camp. p. 226;* ſpeciatim *linguæ, Bierling. adverſar. cur. obſ. 31. in ſchol.* & *aphoniam* in matre quadam, quæ filii filiæque ſtupro interveniebat, apud *Valerium Maximum, Dict. Fab. memorab. Lib. I. p. 57.* Sine iis heterogeneitatibus, ſolus vehemens iræ affectus, cum ſpiritus in cerebro totoque nervoſo genere valde exagitet, ſpaſmos ciere idoneus eſt: ut ipſe dici mereatur *epilepſia parva, Ephem. A. N. C. Dec. II. ann. 11. obſ. 172.* vel quædam *epilepſiæ umbra*, in quam tamen, ſi huc propendeat corpus, ex facili mutetur, juxta *Pechlin. Lib. III. obſerv. 25.* Ab alterato autem lacte

 eſt,

eſt, quod *infantes*, ubera matrum paulo poſt iræ furorem *ſugentes*, fiant *epileptici*, ſecundum *Ephem. A. N. C. l. c.* & perdurante hoc diætæ reatu ſæpe intereant, teſte experientia quotidiana. Omnem vero rationem ſuperat, quod *venena animalium ex ira* generentur, adeoque morſus aut ictus eorum ſic maligni evadant, vel producant rabiem. Quod etiam de hominibus valet. *Ettmüller. pathol. p. 37.* Ineſt autem *virulentia* illa non dentibus, ſed *ſalivæ*, cui etiam aliorum morborum, ut phthiſis, luis venereæ, ſcorbuti, epilepſiæ fermenta contagioſa inſunt. *Moebii, phyſiol. Med. cap. 9. p. 135.* Spiritus enim & humores iræ oeſtro *malignam qualitatem induunt*, &, niſi hæ Archæi furiæ virulentias ſuas per diarrhoeam, vomitum, eryſipelas, fonticulos & ulcera antiqua exſpuant, illas in partes internas effundunt. Obſervatur ſaliva iratiſſimi ſpumare, vi celeris & impetuoſi ſpirituum motus ; & ita peregrinum furoris quaſi characterem, quo ſigillata eſt, *fermentativo* actu, *derivat* in aliorum *corpora* iſtis communicata. *Ephem. A. N. C. l. c.* Quod quando *halitu oris*, aut effluviis virulentis, ex toto tunc corpore ubertim perſpirantibus, inprimis cacochymico valde, peractum eſt, *torvo vultus intuitu* productam *noxam*, a nonnullis creditum. Inde viri *vulnus* in pollice, irati morſu inflictum, omnem reſpuebat conſolidationem, donec pars infecta eſſet reſecta. In alio, tale vulnus ſymptomata ſequebantur periculoſa, converſum tandem in *ulcus putridum* & ſinuoſum difficillimæ medelæ. *Hildanus, Cent. I. obſ 85. Glandorpii, ſpec. chir. obſ. 49.* Hinc ſæpe etiam hominis colorem mutat, ut venenum. *Garmannus, de mirac. mortuor. p. 337.*

§. 4. Nec *medius* a graviſſima afflictione immunis eſt venter. *Cor* maxime ferit ira, ſiquidem iracundus *pericardium* exſuccum & ſqualidum habuit, & in muliere, ira & moerore confecta, carnea *cordis ſubſtantia plane conſumta* erat, inſtar loculi vacui corrugati : referente *Boneto, anat. pract.* l. 4. c. 12. p. 552. Notavit ab ea *pulſus* intermiſſionem, *Bellinus, opuſc. p. 627. Aetius, l. c. p. 250.* animi deliquium atque *ſyncopem*, *Ant. Fumanelli de regim. ſenum, c. 18. p. 72.* Sanguis quippe *bilis fervidæ* acrioris miſcela valde *ſolutus*, ad motum pro vita conſervanda neceſſarium ineptus

evadit,

evadit, junctaque isti *fibrarum cardiacarum enervatio*, qualis in affectibus animi sibi prorsus oppositis contingit, eclysi, vel *syncopæ* cardiacæ producendæ sunt aptissima. *Harderus, l. c.* Scorbutici præcipue excandefacti implicantur in *palpitationem cordis*, seu, motum ejus convulsivum, quem commota tunc salia per irritationem excitasse vidimus. Vidua Serenissima, quoties per excandescentiam animus commovebatur, toties illico rubore suffundi, corpus incalescere, arteriæ inordinate moveri, *cor* contremiscere & *palpitare* videbatur. *Timæus a Güldenklee l. 2. cas. 16. p. 104.* Nec non nobilis, miles, ira exardens, servato tamen intus ulciscendi desiderio, *anomalam cordis palpitationem*, pulsumque omnibus modis difformen, ultra duos annos durantem, reportabat, ut refert *Pechlinus, observat. l. 3. obs. 25.* Quod ad pulmones attinet, aureum est *Hippocratis* monitum, *epidem. 6. difficultate spirandi laborantes*, (asthmaticos, vel quibus a natura pulmo debilis,) *clamore & iracundia abstinere* oportere; ne scil. vas aliquod rumpatur, vel ἀθρόος in pulmones depluat humor. *Sponius, nov. aphor. 79. Sect. 4.* Ignomia peperit *asthma*, *Helmontio, oper pag. 346.* Et Vir quidam 69. ann. incurrit in *asthma*, *catarrhos* & paralysin linguæ, *Bierling. l. c. obs. 31. p. 59.* Accidit porro, ut Virgo ira turbata *sanguinem* spueret. *Higmorus, disquisit. anatom. p. 172.* & Vir alius scorbuticus hypochondriacus incideret in *pleuritidem* veram, cum *febri* ardente. *Bierling, thes. pract. cas. 38. p. 530.* Non semel *phthisin* generasse, frequens ira, *Sennerto* visa est.

§. 5. Affectus autem multo plures sunt, quibus iræ medio *infimus* premitur *venter*. Tunc illa potissimum nocere vulgo creditur, si animo commoto avide statim bibatur. *Rolfincius, O. & M. m. spec. comment. l. 2. S. 3. c. 103. p. 144.* Si quis perterritus aut iratus *edat vel bibat*, incommodum est, partim quia spiritus a ventriculo avocantur, partim chylus aut alimenta cruda, cum bile commota, in sanguinem rapiuntur; *Sennertus, Prax. l. 3. P. 5. S. I. c. 3. p. 496.* Præcipitur etiam iisdem, *urinam*, & si possunt, *alvum* quoque *deponant*, vel ad lucrandum tempus, donec deferveant; vel, ut pars commoti humoris cum excremento secedat, ne reliquum corpus inficiat. *Höferus, Hercul. Med. l. 2. c. 1. p. 110.* Ita vitiatur ab ea

in *paſtu digeſtio* prima, ut ſpiritus fermentativus alteratus, & p. n. ſaporem acidum volatilem contrahens, in maſſam ſanguineam cum chylo delatus, fermentationem *acutam febrilem* inducat. *Ettmüller, in pathol. c. 3. §. 21.* & facile *Soda*, ſeu, ardor ſtomachi cietur, propter effervescentiam bilis acrioris, hinc ex duodeno in ventriculum regurgitantis, cum acido ſtomachi obortam. *Id. Prax. P. I. c. 6. p. m. 59.* Obſtetricante enim humorum totius efferatione, & *ſpaſtica* viſcerum, hinc & *felleæ veſiculæ*, ab impetuoſo ſpirituum influxu, conſtrictione, uberior acris bilis in duodenum profuſio, & in eo fermentatio contingit, quæ ſurſum deorſum ſimul delata, *choleram biliosam*, teſte *Ettmüllero, Colleg. Conſult. caſ. 41.* ſurſum ſolum, *vomitum*; & deorſum *alvi fluxum*, cum virium proſtratione, ſtimulo ſuo, ventriculi & inteſtinorum ſpaſmodice irritativo, in fœmina quinquagenaria induxit; *Riedlin, l. c. ann. IV. p. 912.* Ludimoderator quidam ſubito *excrementa alvi* egerebat, a bile per iram ebulliente, & ſcybalis ſtimulum addente: *Ephem. A. N. C. ann. V. append. p. 57.* Et ſane bonum, ſi *diarrhoea* iræ ſupervenerit, *Hildanus, cent. I. obſ. 18.* ſi enim hæc non ſupervenit, *febris ſuperveniet. Bagliv, Prax. Med. p. 72.* aut vereri *icterum*, a bilis p. regurgitatione ad ſanguinem, p. rarefactione & expanſione conveniet, quem non ſemel inde ortum obſervavimus. Icterum ex mœrore & ira conſignavit *Bierling, l. c. obſ. 44.* & *Riverius Cent. II. obſ. 9.* Pernicioſiſſimum autem eſt, venam ex ira rumpi, & *cruorem vomitu* extundi, quemadmodum Valentinianus Imperator, ſanguine per vomitum erumpente, diſcrepuit. *Rolfincius, ex Hieronymo, l. c. p. 145.*

§. 6. Laborare tam graviſſime & hæ, & aliæ omnes *abdominis* partes *contentæ* videntur, maxime *ob nerveos plexus* in eo adeo multos & inſignes, a quibus diſſeminatis harum membranoſitates & ipſæ nervoſæ ſubſtantiæ ſunt, & *ſpaſmis* facile ſubjiciuntur. Notarunt ab ira *calculoſam* in folliculo *bilem*, hepatis *ſcirrhum, tympanitidem* & *nephritidem*, *Pechlinus, l. c. obſ. 25.* *colicum* dolorem cum conſtipatione alvi in viro robuſto & cholerico, *Platerus, obſervat. I. 11. p. 419.* & *Sydenham, oper. p. 268.* colicam *convulſivam* & epilepticos ei junctos inſultus, *Ettmüllerus, Colleg. conſ.*

caſ.

caſ. IX. Ileum, *Tulpius lib. V. c. 41.* & *Waldſchmidt*, *Prax. Caſ. XXX.* maxime in hernioſis, *Hoffmannus*, *Comment. in Poter. p. 247.* paſſionem *hyſtericam*, *Smetius in miſcellan. Part. III. epiſt. 7. abortum*, *Ephem. A. N. C. dec. II. ann. II. obſ. 172.* & talem cum *ſecundina* retenta, & nimio *lochiorum fluxu*, *Riedlin*, *centur. obſ. 87. p. 202.* Nec reticenda eſt uxor 36. ann. quæ laborans menſium fluxu imminuto, inordinato, decolore & dolorifico, quoties gravius iraſcebatur, *hæmorrhoides* fluentes immodice, cum dolore & teneſmo excitabat, a nobis ſananda. Perinde ac *menſes* potentius moventur ab ira, nunc ſiſtuntur, teſte *Sylvio*, *Prax. Med. l. III. c. 3. §. 271. 277. Kolichen in act. Haffn. Vol. II. p. 288.* illud ab audacia, hoc vero a triſtitia & dolore, ſanguinem condenſante; vel & hoc a prævalente ſanguinis motui ſpaſmo uteri, provenit. Modo non abſimili gignit *ſcorbutum*, *calidum*, & arthritidem: *Mollenbroccius*, *de varis C. IV. p. 57.* Satis cauſæ inprimis *gravidæ* habent, cur ſibi caveant, aut temperent in illa, nam præter abortum, quo de paulo ante, quædam perpeſſa eſt ingentes *ventriculi & capitis dolores*, cum lipothymia, *Riedlin*, *lin. Med. ann. V. p. 725.* & abortiens fœtum, *flavo colore* penitus tinctum parere, creditur *Honorato Fabri*, *l. V. de hom. propoſ. 47.* ob motum bilis ad uterum, quæ etiam iſti ad fœtus excretionem ſtimulum addidit, *Timæus a Güldenklee*, *Med. reſponſ. XXX. §. 95.* cujus in ſanguinem diffuſionem *urinæ tunc intenſe rubro* coloratæ, teſtantur *Riedlin*, *l. c. ann. II. p. 92.* & *lochia*, itemque fluor muliebris *croceus*. *Ephem. A. N. C. Dec. I. ann. III. obſ. 115. p. 186.* Quodſi eſt, eo magis *puerperis* tenerioribus, juxta *Tulpium obſervat. l. 2. c. 20.* ut & lactantibus, noxia erit.

§. 7. Ut tandem reliqua brevibus perſequamur, irati *defraudantur nutritione* corporis, ſecundum *Licetum, de his, qui diu vivunt ſine alimentis*, *l. 2. c. 110.* in amore enim, ira & alia quavis ſenſuali paſſione vehementiori *non alitur*, ſed contabeſcit corpus, ubique feriantibus animis inferioribus, dum ſuperiorum auxilio deſtituuntur. Alii præcipitantur in *podagram*, *Paracelſus*, *op. T. V. p. 132.* & *Laur. Schulzius*, *conſil. Med. III. p. 300. contracturas* & *tremores* artuum, *ibid. p. 81. Ettmüllerus*, *Pr. P. 2. p. 291. arthri-*

tidem, *Ætius*, *l.c. p.257.* & *Schneiderus*, *de catarrh. p.648.* alii in *febres*, *Ætius*, *l.c. p.221. Ballonius*, *epidem. p.209.* maxime *acutas*, *Galenus*, *l.6. M.m.* & *Menapius*, *de rat. vict. sal. c.47. p.603. ephemeram*, *Forestus*, *de febr. eph. lib.1. obs.2. p.27.* & *Hildanus*, *Cent.1. obs.18.* prægresso frigido potu, *Colerus*, *decad.1. obs.1.* & *intermittentem* inordinatam, *Bierling. thes. Pr. obs.II. p.102.* In *tertianas* biliosas, *icterum*, *erysipelas*, *ignes persicos*, *serpigines*, nomica *ulcera*, externas partes corporis instar lepræ depascentia; *Quercetanus, diætet. polyhist. c.6. p.26.* in erysipelas exulceratum, *Bierling. Cent. I. obs.7.* testes sunt. Ira cor exponit *putredini* concipiendæ, juxta *Rulandum*, *de lue Hung. c.5. p.64.* & multum facit ad *malignitatis* genesin, corpusque disponit ad pestem, *Kircherus*, *de peste*, *p.209.* Imo est causa *pestis*, ex mente *Paracelsi*, *op. T. V. p. 191. 193.* aut saltim in peste est valde noxia. *Sennertus*, *cent.2. epist.72. p.681.* Quid quod præcipue in corporibus biliosis, a commotis humoribus, per febrim, proximam hæmorrhagiæ recrudescentis vulneris causam & secutum acris impuri excrementitii sanguinis decubitum ad locum affectum, inde inflammandum, *spasmo* aliisque corripiendum facile accidentibus, ingenti afficiat damno vulnera & ulcera, asserente *Paracelso*, *Chirurgiæ*, *p.482.477.543.652.* & multis exemplis corroborante *Guil. Fabricio*, *l.c.* & *centur. V. obs.75.*

§. 8. Tanta morborum cohors tum animam, tum corpus ita sæpe quassare solet, ut illa non solum incurrat periculum separationis illius commercii, quod habet cum corpore, cui est juncta, sed actu quoque separetur. Testimonio *Fabricii Hildani*, *l.c. p. 1232.* per iram præcipitem atque violentam juvenis in capite vulneratus, & fere restitutus, turbata sanguinis mixtione, gravissima febri; *alius* larga *vulneris* deligati, ruptis iterum vasis, *hæmorrhagia* derepente *interiit.* Wenceslaum, Bohemiæ principem, perniciosus *apoplexiæ* insultus; Nervam, Imperatorem, pleuritis; Valentinianum, *hæmoptysis*, aut cruentus vomitus ea propter jugulauit. *Camerarius*, *l.c. cent. X. L. II.* Ajacem in mortem egit *furor*, in furorem ira. *Seneca*, *de ira*, *l.2. c.36.* Sponsa noctu cum sponso dormiens, *convulsionibus* subito extincta est: & vir quidam

statim

ſtatim dyſpnoea correptus & tremore, totiusque corporis proſtratione biduo poſt exſpiravit. *Platerus*, *obſ. l. 1. p. 34. & 504.* Foemina rixabunda & jurgioſa per iram, accedente valida palpitatione, ſubito extincta eſt, apud *Zacutum Luſit. L. I. de prax. admir. med. obſ. 142.* Memorabilis quoque eſt hiſtoria *Hieronymi Cardani*, *l. 3. de ſanit. tuenda*, qua civem Bononienſem, a dentis dolentis evulſione ira percitum, ſtatim *febri acutæ*, cum doloribus laterum correptum fuiſſe narrat, una cum cordis palpitatione & vomitu bilioſo, paucis diebus mortuum. Lethalem volvulum ex ea memorat *Tulpius*, *obſ III. l. 2. c. 41. p. 161.* & *Syncopen* talem, *G. H. Welſchius obſ. med. cent. I. obſ. 30.* aliaque plura ævum ſuppeditabit ſecuturum. Qui autem ſubitanee, & velut fulmine tacti ea intereunt omnes, apoplexia aut ſyncope e vita ſublatos eſſe, credere fas eſt. Hoc expreſſit *Lev. Lemnius*, *de complex. l. c. p. 64.* quod cor ſanguine & ſpiritu vitali deſtitutum labaſcat ac diſſolvatur. Tot itaque exemplis aliter edoctus victas dabit manus Victor *Trincavellius*, *conſil. l. 2. conſ. XI.* obiram, ſtatuens cum *Galeno*, *l. 2. de cauſ. ſympt.* neminem quenquam repente mori, quoniam nec calor ab ea extinguatur, nec ejusdem caloris robur diſſolvatur. Mirari etiam ſubit, quod gaudium, affectus longe gratior naturæ, nimietate ſua plures ira cito enecet. Cujus rei hîc ſpirituum diſſipationi, a qua cor ſtatim ſuffocetur; ibi ſanguini quidem vehementer commoto, ſuo tamen in circulo adhuc conſervato, adſcribitur, in *Eph. A. N. C. Dec. II. Ann. XI. obſ. 22. p. 58.*

CAP. IV.
Ira Medicatrix.

§. I.

SAlutaris iræ exempla rariora quidem ſunt, dari tamen poſſe, vel inde fit manifeſtum, quod *animi paſſiones*, quemadmodum omnes aliæ res non naturales, *indifferenter* & medio *ſe habent* modo, i. e. dextre uſurpatæ ſanitatem juvare, ſiniſtre vero eidem incommo-

modare valent. Modica vero, lenior, nec adeo frequens, & suo tempore, i.e. *opportune & moderate quæ effunditur*, quin morbi curationem promovere, imo sola *curare possit*, non est, quod dubitemus. *Jos. Pandolphini, de ventosit. spin. c. 15. in not. p. 516.* Ex ipsa vero iræ natura, in quibusnam morbis, & quomodo ferat opem, profluit. Hæc cum versetur in aucto spirituum animalium, humorumque effero, hinc & solidarum partium velut spastico motu, caloris & excretionum augmento, & speciatim bilis simul acrioris, largiori productione, efferatione & profusione, ideo sanguineis & biliosis ominosa; *mederi frigidis, humidis, pituitosis*, ab acido fixo, viscido & spisso, ortis, cum vel sine viscerum, viarum, tubulorum *obstructione*, & *catarrhosis* morbis; adeoque motus fluidorum lentos intendere, spirituum quoque veternum excutere, & vim exercere calefaciendi, attenuandi, resolvendi, aperiendi, & per emunctoria uberius educendi, in propatulo est.

§. 2. Ira compressa, ait *Baco, B. de Verulamio, hist. vit. & mort. p. 249.* est *etiam vexationis genus, & spiritum corporis succos carpere facit: at sibi permissa, & foras prodiens, juvat tanquam medicamenta illa, quæ robustum inducunt calorem.* Ideo personis in senio constitutis, hac mediante balsamum vitalem quodammodo reviviscere, & in actum reduci, cum ita mucosa phlegmatis, illum quasi suffocans, ventiletur; quorum calor innatus sit æquiparandus lapidi pyriti, scintillas igneas non nisi ferro fortiter percussus spargenti & communicanti, *Clauderus* asserit, *Ephem. A. N. C. Dec. II. ann. V. obs. 196.* Sane paradoxum esse videtur, iram tum eniti apoplexiam, paralysin, convulsiones & podagram, *vid. cap. 3.* tum mederi illis, ceu testantur, de *apoplexia* desperata, *Ettmullerus, Prax. P. II. p. 314.* de *paralysi, Laur. Schulzius, consil. M. 50. p. 149. & Valeriola, l. 2. obs. 4.* de *convulsione* capitis, temporaria, toties curata, quoties ex ira excandesceret, vel vino æstuaret æger, *Pechlinus, obs. 31. l. 2.* de *contractis*, & ambulandi impotentia desidibus, *H. Heiden, discurs. 3.* de *podagra, Thom. Bartholinus, hist. anat. cent. 6. hist. 28.* qui etiam causas annectit, & fieri infert, quia vel alio divertitur sensus, vel excitatis spiritibus, sanguineque impetuose commoto, mali causa dissipatur, impactus nempe attenuatur humor.

Scili-

Scilicet, dicti morbi, iræ beneficio orti a calido, & curati a frigido pendebant: his directe opponitur ira, ceu febris quædam artificialis & subitanea, cum naturalis valida, paralysi superveniens, solvat eam, *Galenus*, *in prorret.* & consequenter alios frigidos morbos. Paralyticus linguæ erat, ille quatuor annorum *mutus*, qui vetulam sibi obviam factam indignabundus increpuit, & inde loquelam sibi restitutam sensit. *Act. Hafn. Vol. I. obs. 71.* Croesi filio muto id feliciter etiam successit apud *Herodotum.* Minus vero tutum esse hoc paralyseos remedium, dignum, ut vel arte excitetur, vel natura surgens toleretur, admonet *Riedlinus*, *lib. Med. ann. III. mens. mart. hist. 20. p. 184.* cum nullum non solum levamen, sed morbi incrementum, aut recidivas potius intulisse, ipse viderit.

§. 3. Frigidus sine dubio erat *chronicus* ille, ultra annum durans, Imperatoris *Palæologi II. affectus*, quem vexationibus uxor ejus, in nulla ipsi re studio obsequens, frequentissimis levavit, teste *Majolo*, *Colloqu* Inter hos autem primicerius & velut mater, *cachexia*, a veteribus pravus corporis habitus salutata, ubi *Hippocrates*, prout *Galenus*, *l. 6. de plac. Hipp. & Plat.* refert, dum pravo colori corporis, gracilitatique in habitu perfrigerato medetur, iracundiam dicit studiose excitandam esse, tum coloris recipiendi, tum effusionis humorum gratia. *Hippocrates 2. epidem. sect. 4.* inquit: *oportet excitare excandescentiam, coloris, refectionis & insuccationis gratia.* Cui etiam suffragatur *Ætius*, *tetrabibl. I. serm. 4. c. 33.* oportet autem *decoloribus*, & alimentum non sentientibus iracundiam inducere, & commotiones animales. Quando plebecula, annonæ caritate coacta leguminibus victitare, inde *pravi succi sanguinem*, & *crurum mollitiem*, genuumque dolores contrahit, collaudat etiam iracundiam *Hippocrates*. Nec enim solum corpus visceraque κατόρθωσιν deferentia reficit, sed etiam animum, illumque excitat ad deambulationem & meditationem, tenore *textus II*, quem statim *6. epidem. Hippocrates* subjungit, ceu memorat *Rolfincius*, *O. & M. med. spec. comment. L. 14. S. III. c. 9.* Scilicet, excitantur & activiores redduntur non solum spiritus animales, (in pituitosis, obesis, stupidis, nonnullis cachecticis,) sed etiam hoc ipso digestiones instaurantur ac roborantur. Quam quidem ob causam con-

ferre *seminis defectui* visum est *Ettmüllero*, *Prax. P. II. p. 413.* & sterilitati ob aquosius frigidius semen. Quodsi *menses*, ob crassum tartareum melancholicum sanguinem, capillaria uteri vaginæque vasa obstruentem, vel undecunque *substiterint*; rursus ab ira cientur, quatenus ab ipsa tum copiosius, tum potentius in sanguinem commovetur, propelliturque bilis: unde non mirum, si sanguis factus fluidior, effluat per viam tunc apertam, tum diutius, tum abundantius, juxta *Sylvium*, *in Prax. L. 3. c. 3. §. 271. p. 497.* Ira ad mensium excretionem disponit in genere, ex quo capite prodesse quoque *chlorosi* debet.

§. 4. Videtur larga bilis ad intestina profusio & turgescentia excitasse sine dubio in muliere juvencula, phlegmaticæ constitutionis, & angustiis præcordiorum, ob diætæ errores, obnoxia, *diarrhoeam* quandam cum maximo levamine, cruditatibus nempe primarum viarum ita probe eversis, ceu notavit *Behrens*, *diætet. S. 6. c. 2. §. 6. Hildanus*, *l. c.* atque ulterius corroborat *Chr. Jo. Langius*, *ep. t. 3. p. 26*, cum *mustela sylvestri*, quæ provocata ad iram *fæces alvinas* valde fœtidas in suos persecutores rejecerit; alioque *animali Americano*. Bonum ergo, si diarrhoea iræ superveniat; nisi enim hæc, superveniet febris. *Bagliv*, *Prax. p. 72.* Egregia etiam commoda, quoad *transpirationis* actum, memorat *Sanctorius*, *Medicin. stat. sect. 7.* dicens: inter affectus animi ira & pericharia corpora efficiunt leviora; item: lætitia & ira levius & ponderosius perspirant & exhalant; hinc in itinere ira affecti nullam defatigationem persentiunt. Quidni ergo recte statuat Paracelsus, *oper. tom. V. p. 233.* iram in genere aperire meatus corporis.

§. 5. Conferunt hi & alii evacuandi, alterandique modi ad medelam *arthritidis*, qua laborans, alicujus vetulæ maleficium innumeris verberibus ulturus, liberabatur. *Convulsus* pedibus multos annos, quem non operosa medentium manus curare poterat, sola ira persanatus, ad quam podagrici propensi sunt. Tantum potest incalescens sanguis, rapido suo motu tartareas, vel acido biliosas, acres, pungentes & rodentes fibras nerveas, particulas avellens & eliminans. *Bonetus*, *Medic. septentr. T. II. l. 7. S. 3. c. 47. p. 573. Camerarius*, *memorab. Med. cent. V. part. 31. Libavius*, *de*

cruentat.

cruentat. cadaverum p.302. Tantum valuit ſudor in juvene, *febri ardentisſima*, & in fœmina, tertiana laborante, ſolvens eam momentanee, per incandeſcentiam extortus. *Miſc. A. N. C. Dec. I. ann. III. obſ. 238. Bierling. theſ. Pr. obſ. XI. in ſchol. p. 105.* Ex quibus dilucide apparet, moderatam prodeſſe quandoque iram, quam & Scriptura S. non improbare videtur, dum ait: *iraſcimini, & nolite peccare.* Et adhuc eo magis foret ſectanda, ſi cos eſſet virtutis, vel maxime neceſſaria ad fortitudinem, quo de vid. *Scaliger, de ſubtil. exercit. 208.* & *Lactantius, de vero cultu, l. 6. c. 19.*

CAP. V.
De remediis.

§. 1.

Tempora eſſe diſtinguenda in ſuſcipienda iræ effectuum, ſeu alterationis corporis & humorum potius, quam ipſorum animi motuum, ſanatione, auguramur merito. Nam ubi *longius proceſſerit ab ira tempus*, prognati *morbi remedia expoſcunt*, ſeorſim ſibi competentia, *ex loculis* deprompta *propriis*, v. g. antapoplectica, antiicterica, &c. ſanguinis, ſeri, aut bilis, &c. quantitati, qualitati, aut motui vitiatis debita, inprimis ad humores bilioſos ſimul, mole, acrimonia, aut volatilitate peccantes directa; materiæ enim, morbo atque parti affectæ tunc eſt ſuccurrendum. Planta exotica, *Qualancapati* nomine, adverſus omnes iracundiæ noxas laudatur, quam, ut adipiſci liceret, optandum. Quo vero morboſa *pathemata iræ affectui ſunt tempore propiora*, eo magis requirunt *auxilia*, compeſcendæ ſpirituum, humorumque in toto & primis viis efferationi accommodata. Inprimis molimina motoria, anomala, quantocyus & in prima herba ſunt opprimenda, tam alterantibus, quam evacuantibus. *Hæc* eſſe poſſunt *abſtergentia, ſalſa, tartarea; laxantia, rhabarbarina, tamarindina, ſennata, ſtimulata* paululum fortioribus, pro re nata; *clyſmata* pro more ex emollientibus & blande ſtimulantibus parata: & quando cuneo opus eſt, indice cordis anxietate & cardialgia, vel aliis primarum viarum incommodis, vel ſi mox ante aut poſt dapes coorta fuerit ira, *vomitoria* ſunt præbenda ocyus.

Natura sæpe præmonstrat viam tum *vomitu, tum diarrhoea spontaneis*, utrisque salutaribus, quibus etiam connivemus, nec medemur adstringentibus, sed metu nimietatis saltim *præcipitantibus*, inprimis nitrosis, cum *laxantibus*, conjunctis, & in graviori spasmo, qui in dispositis unica sæpe vomitus causa viget, *anodynis* refracte, in urgentia autem dosi primaria; modo non bilis adsit abundantia. Necesse quoque erit sæpe, celebrare ad sedandum sanguinem, & febrim avertendam, *venæsectionem*, ad ventilandum, præmisso vel laxativo, vel emetico, præsertim in plethoricis & sanguineis: multos enim hæmorrhagiam passos esse innocue, aut salutariter, relatum apud *multos Practicos* legimus. Ejus obeunt vices *cucurbitulæ* cum *scarificatione*.

§. 2. Experiri postmodum conueniet, tam bilem ad primas largius profusam vias, quam massam sanguinis fortius commotam, *alterantia*, non sudorifera, certo nocitura, sed *præcipitantia*, quibus ad blandum deducantur motum atque regularem, sanitatis conservativum. Laudem & applausum per experientiam sortita sunt, *terrea, testacea, lapidea, lap. 69, mat. perl. conch. unicorn. foss. corall terr. sigillat. Lemn. bol. Arm. Corn. cerv. ust. ebur ust. & phil. lapid. cryst all. pertios. marga, cret. pulv. absorb. præcipit. spec. diatr. santal.* & parcissime ♂lia, *croci aperitivi*, ♁ ♂*l. cachect. pulv. cach. tartar.* Bilem adhuc *fervidiorem*, calidam acrem volatilem, potentius infringunt acida, *acidulæ naturales, succi vegetabilium expressi acidi, citri, berberum, ribium, cerasorum, acetos. spiritus minerales, nitr. sal. sulphur.* ⊕*li. clyss.* ♁. ♄*at., tinctur. bellid. papav. rh. flor. 4. cordial.* nitrosa, *nitrum depuratum, nitratum, arcan. duplic. sal polychrest.* tartarea, *tart. crud. & crystall. vitriolat.* 🜖*sat. alumin.* Omnibus proficua sunt obtundentia mucilaginosa, *semin. 4. frig. maj. & min.* pro emulsionibus, *gumm. Arab. tragac. spec. diatrag. frig. pulv. anonym.* victus ex *oryza, milio, amylo* &c. Et quemadmodum aqua elementum est frigidum & humidum, siccum calidumque humorem & corporis constitutionem præ aliis temperabunt *aquosa* remedia, eo magis, si sint acidulis, nitrosis & mucilaginosis fœta, ut sunt: *aquæ destill. lactuc, nymph. acetos. cerasor. decocta hordei, avenac. citri Myns. tamarind. cum cryst all. tart. ceras. acidor. acetos. rapar. serum lact. simpl. & citrat. julepi, juscula*

carnium

carnium macra. Paratiſſimum auxilium & expertiſſimum, ordinarii potus, (dubio procul conſuetæ ibidem loci cereviſiæ) tres aut quatuor menſuras, duarum horarum ſpatio, liberalibus hauſtibus abſorbendas, ſtatim poſt iram commendat *Bierling, theſ. pract. p. m. 76.* quibus tum alteratio corporis compeſcetur, tum bilioſa ebulliens materia, optime diluta, vomitu, aut per alvum & urinam, copioſe utiliter evacuetur. Modicum autem potum valde nocere, aſſeverat. Nec de nihilo eſt, quando iisdem, ut urinam alvumque deponant, præcipitur, vel ad lucrandum tempus, donec deferveant, atque diſtrahantur, quo minus ad ſumendum cibum vel potum, valde nocivum, accedant: vel ut pars commoti humoris cum excrementis ſecedat, ne reliquum corpus inficiat. *Hœferi, Hercul. med. pag. 110.* Decocto herbæ thee vir, tantum non præ ira furens, eam brevi correxit, apud *Riedlinum, lin. med. ann. II. obſ. 26. p. 94.* His ipſis junguntur potius, quam ſolitarie exhibentur *antiſpaſmodica*, non quæ movent ac reſolvunt, indicata quidem a terrore ſupervenien-te, ſed *præcipitant* humores, ac ligant ſpiritus, *ſulphurea fixa, vitriolacea, ♃lia, ſulphur vitriol. antihect. Pot. bezoard. ♃le:* & anodyna, quæ ſopiunt & placant, *laudan. opiat. theriac. coel. eſſent. opii.* Quanquam in bilioſis ſaltim & ſanguineis noxam inferat ira, & remediis locum concedat; in pituitoſis tamen atque *frigidis*, quibus alias pro medicina commendatur, illa *immoderatior* nonnunquam fieri poteſt, corpora inprimis ſi fuerint cachochymica; atque tunc admittuntur auxilia nonnihil *calidiora*, in *reſolventium* claſſe ſimul militantia, *cinnabarina, antimonialia, balſamica* & *ſpirituoſa* parce, non poſthabitis ejusdem naturæ per inferiora *purgantibus.* Cauſæ porro occaſionales in corpore & antecedentes ſunt præoccupandæ.

§. 3. Ad præſervationem oppido conducunt, in bilioſis balnea aquæ dulcis frigida, ſecundum cautelas inſtituta, quæ in nupera *diſſertat. de balneis aqua dulc. frigidis*, ſub Dn. Præſidis moderamine habita, ſunt traditæ, cum effectu refrigerationis & humectationis ſolicite quæſito. Ira a corporis læſionibus oriunda, ſublatis his, abigitur. Satiata, ut rariſſime novum ulteriorem effectum inducit, medicina haud indiget. Fortior a temperamento, quam objectis externis, correcto eo avertitur. Vanitatis, an ſuperſtitionis ſtudioſi ſunt illi, qui *amuleta* commendant,

haud decernere præſumo. Figuram *urſi apes lædentis*, (ambo enim hæc animalia ira ſua perire feruntur) carneolo inſculptam, Saturno verſante in ariete aut aquario, & luna ipſi conjuncta, collo appenſam ut geſtent, imperat; vel cum antiquis, in ſtatione lunæ a principio capricorni ad gradum duodecimum, contra rixas & diſcordias medicamina & imagines conficere docet, *Bickerus, hermet. rediviv. p.353.* Fere certius remedium eſt impotentis iræ, quod *Paulus Ægineta, rei med. p. 9. a. & Ætius, l. c. p. 130.* plane ſingulare deprædicant, *Venus*. Sicut enim iracundi quodammodo contrarii ſunt amore captis, idcirco & veneris uſu, & blanditiis interdum ab ira avocantur: quibus demulcentur ſpiritus, & in actu ipſo, multis exhauſtis, ſopiuntur & torpeſcunt reliqui. Præterea aliæ *cauſæ* ſunt evitandæ: ſic in laſſitudine, ſiti, inedia, intempeſtiva vigilia, pronior quisque ad iram. Sic fames & mora, ex *Plauti* ſententia, bilem in nares conciunt. Sed ea oblato cibo confeſtim miteſcit ac ſedatur. Quo fit, ut ſaturi jejunis minus efferveſcant. Quod corpus cibo potuque irrigatum minus ſicceſcit, calore nativo tepefacto ad concipiendam iracundiam minus eſt proclive. Flava bilis, quæ impranſis ebullire ſolet, infuſis humoribus diluitur. *Cibi* autem ſint notabilis caloris expertes, *humectantes* & refrigerantes. Quo ſpectat illud *Plinii: omnis animi aſperitas dulciori ſucco mitigatur, lenit tranſitum ſpiritus, ac molliores efficit meatus.* Generoſum quoque, cum delectu, bibendum eſt parce *vinum*: quædam enim vini genera, ut Pictavienſe, animi impetus non modo non conſopiunt, ſed recrudeſcere faciunt, atque denuo exulcerari. Porro ut corpus optimis ſuccis alendum eſt; ita in molliter ſubacta culcitra placido ſomno fovendum; & alias quoque quieti indulgendum eſt. *Lev. Lemnius, de occ. nat. mir. L. I, c. 16. p. 114.*

§. 4. Hæc ipſa prudenter adhibita cum non ſemper profeciſſe, ob mali atrociam, fuerint deprehenſa, ſuccenturiari *moralibus* & theologicis neceſſe erit, eo directis, vt vel eam abarceant, aut conceptam moderentur & extinguant. *Carteſius, de paſſionibus artic. 203. generoſitatem* optimum eſſe remedium contra iræ exceſſus aſſeverat, quia dum facit, ut vilipendantur omnia bona, quæ poſſunt auferri, & contra, maximi fiat libertas & imperium abſolutum in ſe-

metipsum, quod perit, ubi ab alio lædi possumus, efficit, ut contemptu solo, aut ad summum, indignatione ulciscamur eas injurias, ex quibus alii solent offendi. Succedit huic *patientia*, præsens remedium, & specifica theriacalis aqua, qua homo robustior redditur adversus hujus perturbationis feroces motus, eo ipso palmæ respondens, quæ quo magis premitur, eo fortior attollitur. *Quercetanus*, *diætet. polyhistor. Sect. I. c. 6. p. 28.* Obfirmandus ergo animus contra iram, & *constituendum* firmiter, *ei nos non velle locum dare*, quicquid etiam molesti & adversi acciderit. Quod obtinebimus eo facilius, assidua *meditatione* & fœdissimæ *turpitudinis* atque deformitatis *vultus* atque *gestuum*, quibus mentisque alienatione feræ similis evadit iratus; & malorum funestissimorum, quæ per eam ingeruntur: *fructuum* econtra *mansuetudinis*, in omni vita, *suavissimorum*. Ad repræsentandam melius deformitatem, *Gentiles* ejus æstum per *furias adumbrant*, pictas secundum *Albericum* Philosophum, *lib. de deor. imag.* venenatis serpentibus crinitas, flagellum itidem ex serpentibus confectum, & facem manibus gestantes: imo *chimæram* fingebant, quæ secundum *Homer. iliad. z.* prima leo, postrema draco, media inde capella, quæ graviter patulis spirabat naribus ignem. Juvabunt hæc promtius, quando per aliquod tempus *iræ vovemus abstinentiam*, ut velut desuescamus ei gradatim, viventes semper cum placidis, minime morosis, ferocibus & rixosis, a quibus & prava exempla & irascendi causas nanciscimur. Evitatio enim occasionis, asuefactio ad vincendum vel leniendum impetum, atque animi tranquillitas & lenitas eximie præservant. Magnum est, quod tali morum animi correctione & consuetudine, etiam temperamentum corrigatur. Sapientis est belli ducis, in confiniis arcere hostem. Ita iratis laudi ducitur, *initiis iræ* summa *obsistere* vi, ne nostros invadat animos. Desideratum iste consequetur finem, remotione, aut labefactatione tam physicarum, quam ethicarum causarum.

§. 5. Quanquam talis solicita præcesserit præmonitio, fieri tamen potest, ut *iræ impetus* animum nihilominus *occupet*. Tunc autem mora & cunctatio proderit, ut scil. nihil decernamus, dicamus aut faciamus, donec ira deferbuerit, & rursus probe judicet ratio. Quod veteres innuerunt, quando 24. alphabeti literas,

aut

aut dominicam orationem recenſere prius præceperunt. Subſidio ſunt contrariæ rationales commotiones, blanda conſolatio, promiſſa ſecuritas, facta fiducia. Proderunt etiam *amicorum admonitiones*, quod irati nihil proficiant, ſuos familiares offendant, & ipſis ſint graves; quo de rationes exhibet *Vairus*, *de faſcino*, *pag. 45.* quod ea faciant, quorum poſtea pœniteat, Deum pariter iratum reddant, &c. Potentior approbetur, quoad ſenſim defervefcat: aut mutetur in jocos & hilaritatem, ut proportionatim ſedetur animus, nec ira ſubito ſupprimatur, aut ei ſeperveniant alia contraria. Cum vero alii, ex naturali inclinatione, facile, alii difficulter iraſcantur & placentur; alii precibus vincantur, exacerbentur alii; alii terrore incuſſo componantur, objurgatione & increpatione pacificentur; alii ſæviente ira non ſunt perturbandi; hoc modo omnes, pro cujusvis naturæ indole atque moribus, tractandi ſunt, aperte & palam vel occulte, molliter vel acrius, & animo non minor, quam corpori ſic cura eſt adhibenda. Scilicet, cum *Socrate*, affectuum æquabilitatem frugalitate & temperantia ſectetur quivis, qui mentem vult ac corpus ſanum habere. Imo ſi rem recte conſtanterque inſtituere velimus, opera danda, ut matres, quæ gerunt uterum, & nutrices, quæ tenellos alunt, ab iracundia ſint immunes. In reliqua educatione manſuetudo inculcetur tam monitis, quæ modo ſtimulum, modo froenum continent; quam victu tenui & modico: & in eam rem pædagogi dentur non truces & feri, ſed mites atque placidi, quo a teneris temperamentum formetur ad ferendam animi moderationem idoneum. Ita nempe, bona indoles, educatio, cultura animi, exercitatio longo uſu confirmata, imo chriſtianæ religionis præcepta, fides ſincera & ſalutaris gratiæ auxilium, affectuum incendia optime ſedare poterunt. Vide *Ariſtotel. l. 2. Rhetor. cap. 2. Hieron. Donzellinum & Heiderum, de ea.*

TANTVM.

AD RESPONDENTEM NOBILISSIMVM, ET IN ARTE SALVTARI EXIMIE DOCTVM EPISTOLA.

NOBILISSIME RESPONDENS, FAVTOR PRÆ CETERIS COLENDE!

SImulac TE nosſe mihi contigit, elucentem in TE illico comprehendi et ſtudiorum amorem, et ad exquirendam, acquirendamue eruditionem ſolidam aptitudinem, naturae minime vulgarem. Et cum diu, multumque, quae de elegantiorum litterarum ſuauitate, et quantum illae prodeſſe rei tam publicae, quam priuatae poſſent, eſſes meditatus; totum TE dediſti vitae hominis conſervandae, tuendaeque ſtudio, conatu tam laudando, tamque felici, ut quod magis ex publica re eſſet, hominum quoque conſortio, eligendum duxeris nihil. Accedit, quod Parente utaris, artis hujus indagatore ſubtiliſſimo, Doctoreque plus quam fideli, et in eo verſeris loco patrio, vbi Aſclepiadei ordinis proceres ſedem fixere eminentiſſimam, ſplendidiſſam; vt quamuis vndique montibus cincta, ex culmine tamen Europae montium exſplendeſcat clariſſime, ſuoque nitore inuitet exterarum regionum filios artibus ſtudentes, et magis TIBI futuro breui tempore celebri medico ex patria emolumenti eſt, quam olim Romae editis, qui, artium nulla mentione injecta, de eo gloriabantur, quod in Orbis Domina, Romani nati eſſent, ſolo contenti nomine.

Exſpectationem patriae alis ex eo, quod publice demonſtras, qualis ſis futurus proxime, oſtendendo et defendendo, quanta ſit affectuum in incremento et decremento morborum vis et efficacia. Nullum ſane, neque curioſius, neque grauius medicinae momentum potuiſſes eligere, eo, quod affectuum naturam, artique Æſculapii inimicam demonſtras. Scilicet ſicuti animi corruptelæ, corporis rectricis, non poſſunt non, quin inſtrumenti varient motus, et, quod Lipſius docet, diſtrahant corpus. Et, certe, omnium ſcientiarum intereſt, affectuum ſcrutari indolem; Protoplaſtorum lapſus affectibus, ſi quid ſentio, januas aperuit regiminis, inque iis compeſcendis tam aeternam, quam temporalem valetudinem conſiſtere, nullus

E dubito,

dubito. Forum etiam confitetur ciuile, nihil eſſe tam fatale, quam irae, ceterosque inordinatos motus; Imo mentem ipſam cum cogitationibus, ipſumque corpus cum actionibus mutant, Cicerone auctore: *Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate animi geſtiunt, quorum omnium vultus, motus, ſtatusque mutantur.* et Horatio:

- - - vae, meum
Feruens difficili bile tumet jecur,
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manet: humor et in genas
Furtim labitur arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Medici ergo omnino eſt, ea curare, quae homini ex ira nocent, vitaeque ſtruunt inſidias. Modum monſtras, FAVTOR optime, non tantum, quomodo ira exedat oſſium medullam, ſed inſuper addis ſalutariter, quae hiſce optatiſſimo cum effectu malis reſiſtunt, medicamina. Gratulor TIBI egregium hoc ſpecimen futuros honores accelerans. Sint porro proſpera et fauſta, quae agis, Excellentiſſimique PARENTIS, Patroni et Praeceptoris mei longe grauiſſimi reſpondeant exſpectationi, et bonorum omnium votis. Ceterum mihi antiquius erit nihil, quam noſtra inuicem amicitia; qua me complecti vlterius, non dedignaberis. Vale.

Dabam Ienae d. XXVIII. Ian.
cIↄ Iↄ CC XVIII.

M. IO. VALENTINVS STEGMAYER,
Rotenburgo - Francus.